

IMP . CAESARI . DIVI . F .	AVGVSTO . PONTIFICI	
MAXVMO . IMP . XIII . TRIBVNIC . POTESTATE . XVII . S . P . Q . R		
QVOD . EIVS . DVCTV . AVSPICISQVE . GENTES . ALPINAE . OMNES . QVAE		
A . MARI . SVPERO . AD . INFERVM . PERTINEBANT . SVB . IMPERIVM . P . R . SVNT . REDACTAE		
GENTES ALPINAE DEVICTAE	FOCVNATES	RVGVSCI
1 TRVMPILINI	9 VINDELICORVM GENTES	16 SVANETES
2 CAMVNNI	QVATTVOR	17 CALVCONES
3 VENOSTES	10 COSVANETES	18 BRIXENETES
4 VENNINETES	11 RVCINATES	19 LEPORTI
5 ISARCI	12 LICATES	20 VBERI
6 BREVNI	13 CATENATES	21 NANTVATES
7 GENAVNES	14 AMBISONTES	22 SEDVNI
		23 VARAGRI
		24 SALASSI
		25 ACITAVONES
		26 MEDVLLI
		27 VCENNI
		28 CATVRIGES
		29 BRIGIANI
		30 SOGIONTI
		31 BRODIOINTI
		32 NEMALONI
		33 EDENATES
		34 ESVBIANI
		35 VEAMINI
		36 GALLITAE
		37 TRIVLLATTI
		38 ECDINI
		39 VERGVNNI
		40 EGVI
		41 TVRI
		42 NEMATVRI
		43 ORATELLI
		44 NERVSI
		45 VELAVNI
		46 SVETRI

u. c. 747/8

'Non alienum videtur', Plinius ait h. n. 3, 20, 136, 'hoc loco subicere inscriptionem e Tropaeo Alpium, quae talis est' (sequitur inscriptio supra relata). Ex recentioribus primus fortasse ad scriptas reliquias animum adverbit Iacobus Lopes Stunica, qui in itinerario Compluto Romam a. 1520 (p. 129 ed. Francisci Schotti ad calcem itinerarii sui Colon. 1620): 'extat adhuc', inquit, 'in arce eiusdem loci (Turbiae) illa ipsa Trophæi inscriptio, cuius Plinius meminit', quamquam ex hoc solo eam affert. Manutius cod. Vat. 5253 f. 412 Plinianam inscriptionem affert cum praescriptione hac: 'inter Augustam Praetoriam in Alpium fauibus et prope Monoecum vulgo Torbia quasi Trophæa a Plinio relatum'. Deinde Gioffredus in Nicia (1658) et Anonymi auctoris accuratam ruinorum descriptionem attulit eam quam supra repetivimus et p. 42 post allatam ex Plinio Tropæi inscriptionem sic pergit: 'cuius in nostris hisce Trophæis multa supersunt marmorea fragmenta, ac praecipue unum' [scilicet id quod infra attulimus fr. 4] 'Alia huiusmodi inscriptionis marmorea fragmenta iubente olim serenissimo principe Mauritio a Sabaudia ad ecclesiam B. Mariae Ni-ciensis arcis exornandam ac non ita pridem ad B. Virginis de Lagheto translata sunt'. Loca denuo lustravit Ricolvius Niciensis, a quo ibi inventa obiter commemoravit Maffei M. V. p. 232; accuratius ipse ait in schedis n. 19 vidisse se Turbiae nell'arco del portico avanti la capella della Vergine della pietra alcuni insigni frammenti di marmo bianco con qualche nuoletta oscura con lettere alte un palmo, scilicet quae nos infra dedimus n. 4. 5. 7. 8, item avanti la chiesa un altro frammento simile, scilicet id quod infra dedimus n. 1, item innanzi la chiesa un pezzo di marmo scavato pungo 6 palmi, largo 4, che rappresenta una parte del torace di un uomo armato. Fragmentum primarium 4 referunt item Bouche Provence (1664) 1, 99 ex Gioffredo; Lanciares ms. 1756 p. 13; Durandi Piem. cispad. p. 21 a prioribus; Beaumont travels through the maritime Alps (Londini 1795 fol.) p. 111 (nam nugatur more suo addens: this copy was sent to me by a friend at Nice . . . the greatest part he had collected from the scattered fragments of the original, which are dispersed in the neighbourhood of Turbia and Nice); Millin voyage 2, 581. Bonifassius n. 16 affert Pliniana. Accuratus de reliquiis his egit comes Anselmus Hilario Spitalieri di Cessole in act. Taurin. ser. 2 vol. 5 a. 1843 p. 164 seq. expressitque is in tabula accurate fragmenta infra relata n. 4. 5. 7. 8. Inde pendent Sangüinetius p. 185; Carbone n. 101. 102. De visu Alex. Bertrand revue archéologique n. s. 19 (1869) p. 309 dedit fr. 3. 4. 7. 8. Nuperrime cum arcus reliquiae ex antiquis sedibus eximerentur Parisios transferendae, et fragmenta adhuc nota quattuor 4. 5. 7. 8 et tum demum reperta 2. 6. 9. 10 edidit H. Cerquand Niciensis in eph. Revue archéologique n. s. 20 (1869) p. 280 seq. tab. 18 aptandisque iis reliquiis ad textum Plinianum non infructuosam operam navavit. Hoc maxime recte observavit secundum frusta quae supersunt nomina populorum necesse esse ita scripta fuisse, ut singula singulos versus occuparent, cum extet fragmentum unum (6) initium versus habens, duo (5. 8) habentia versuum fines. Denique Otto Hirschfeld dum moratur Parisiis fragmenta mea causa inspexit et Cerquandianam editionem suo testimonio comprobavit adiecitque fragmentum n. 11 una cum reliquis in museum Sangermanense advectum, a Cerquandio autem nescio quo casu praetermissum. Nos his testimoniis usi in fragmentis disponendis post Cerquandum minora quaedam mutavimus.

Variam lectionem subieci integrum codicum Plinianorum trium Lugdunensis Vossiani fol. n. 4 saec. IX librorum eius auctoris qui extant longe primarii (ipse contuli), Vaticani 3861 saec. XI (secundum Detlefsenum), Florentini Riccardiani saec. XI (secundum Silligium). Fragmenta quae supersunt et variae lectioni inserui et ipsi exemplo locis iis, quibus aut certis rationibus aut certe probabilibus tribuenda esse viderentur. — Ipsum titulum, cum in verbis perscriptis vel non perscriptis codicum auctoritas nulla sit, disposui ad similitudinem arcus Segusini; in Leidensi sic est: *imp. cessari diu filio augusti (sic) ponti. max. imp. xiii tr. po. xiiii, deinde auspiciisquae, denique redacti, reliqua ut dedi.* — Litterae fragmentorum omnium excepto tertio altæ sunt cent. 18; interstitium inter versus est centim. paulo minus 9¹/₂. — Ex vocabulo AVGVSTO Ricolvi tempore superfuit fragmentum ei visum ante ecclesiam Virginis inscriptum litteris

1 AVG

Ad vocabulum AVSPICISQVE referri potest fragmentum a Cerquando demum ex antiqua porta extractum:

2 AV

Nam interstitium centim. minimum 22, quod supra AV vacat, non convenit interstitio in populorum recensu observato, quod diximus esse centim. 9. 5. Litterae autem AV cum in praefatione bis inveniantur in v. 1 in AVGVSTO et v. 2 in AVSPICISQVE, illum locum praecludit, quod elementa AV vidit Ricolvius, quem hoc ipsum fragmentum deprehendisse negandum est, cum id Cerquandus ita invenerit in opere positum, ut legi non posset nisi inde exemptum. Sed cum litterae AV non sint maiores eis, quae in laterculo reperiuntur, fragmentum commodius fortasse aptabitur ad laterculi n. 25 aut n. 45, ut versum praecedentem statuamus non totum scriptum fuisse. — Praeterea observavit Cessolius servari Nizzae in bibliotheca publica saxum ex arcu aevatum habens litteram unam fractam N

3 N

eius magnitudinis, scilicet minimum cent. 36, ut ad praescriptionis partem primam necesse sit referatur, quam maioribus litteris perscriptam fuisse consentaneum est. Pertinuit igitur aut ad PONTIFICI aut ad TRIBVNIC. — Ex catalogi praescriptione versuque eius primo supersunt fragmenta haec:

4 S ALTI
R VMPILI

5 NI

unde corriguntur Pliniani libri, in quibus est *Triumpilini* (sic Leid.; *triumfilini* Vat. Ricc.) male (cf. p. 515). Prioris fragmenti versus uterque quo spectet, iam Gioffredus optime intellexit, Plinianam lectionem eius ope emendans. Posterior adiunxit Cerquand 'ainsi que le permet la coupe des deux blocs'. — Ex catalogi v. 2. 3, in quibus *camunni* Vat. et corr. ex *caumynni* Ricc., *camuni* Leid. (illud praestare supra p. 519 vidimus), deinde *uennostes* Vat. Ricc., fragmenta haec duo superesse videntur:

6 C

7 N
VOS